

seu vehemens sic dicitur, quia in applicando animum violentat, seu vehementer trahit mentem iudicis ad credendum; et ideo hæc quandoque sufficit ad condemnationem; ut c. *Afferte*. 2. h. t.

30. *Probabilis, et temeraria, quæ?* — «Præsumptio probabilis» est, quæ ex aliquibus verisimilibus indiciis oritur: et hæc quandoque purgationem canonicam indicit, ut c. *Si quis de gradu, de Purgat.* canon. cum concordantiis: quandoque alios habet effectus, de quibus n. 34. et 36. et seqq. Tandem «Præsumptio temeraria» censetur ea, quæ vel ex causis, levibus, ac proinde insufficientibus, vel ex factis æque in bonam et malam partem referibilibus concipitur: et hæc est rejicienda can. *Oves*. 6. q. 1. atque illico amplius dicitur.

§ II.

DE EFFECTU PRÆSUMPTIONUM SEU QUALITER PROBENT.

31. *Præsumptio hominis quam vim probandi habeat? Levis seu temeraria nihil probat, sed est repellenda.* — Quæritur I. Quam vim probandi habeat præsumptio hominis? Resp. I. Præsumptio levis, seu temeraria, nihil omnino probat; quin potius est penitus repellenda. Ita Glossa marginalis can. *Oves*. 6. q. 1. Vallensis h. t. § 4. n. 1. et communis. Et merito: quia præsumptio levis, utpote ex insufficientibus causis temere concepta, importat suspicionem temerariam: atqui «omnis suspicio potius repellenda est, quam approbanda, vel recipienda,» ut loquitur textus cit. can. *Oves*. 6. q. 1. In nullo potest enim prudenter movere animum iudicis: unde et can. *Primo semper*. 2. q. 1. Iudicibus præcipitur: «Nullam suspicionis arbitrio iudicetis.» Et c. *Inquisitioni*. 44. § fin. de *Sentent. excomm.* dicitur, conscientiam levis et temerariæ credulitas esse explodendam.

32. *Probabilis, seu rationabilis, relinquitur arbitrio iudicis; ac tantum probat quantum ei videbitur. Præsumptio facit gradum probationis juxta quod indicia stringunt.* — Resp. II. Præsumptio hominis, quæ videlicet jure expressa non habetur, et cæteroquin probabilis seu rationabilis existit, prudenti iudicis arbitrio relinquitur; ac tantum probat, quantum secundum subjectam materiam, et spectata indiciorum gravitate, iudici videbitur.

Ita Abbas c. *Is qui fidem*. 30. n. 6. de *Sponsalib.* ubi inter alia dicit: quod de his non possit dari certa regula, sed juxta quod indicia stringunt, præsumptio facit gradum probationis: atque amplius tradit idem Abbas. c. *Quanto*. n. 3. h. t.; Bartolus l. *De ætate*. n. 8, vers. «Ad cujus evidentiam.» ff. de *Minorib.*; Menochius l. II. de *Arbitrar. judic.* cas. 117, n. 2; Mascardus de *Probat.* concl. 1227, n. 1. et alii. Ratio est, quia ubi iudex non potest perducere ad veram scientiam facti per aliquem sensum corporeum, debet is animi sui, motum informare ex argumentis et testimoniis, quæ rei aptiora, et vero proximiora esse compererit, l. III. ff. de *Testib.* et can. *Si testes*. 4. q. 3. § 1. et c. *Causam quæ*. 14. de *Sentent. et re judicat.* junctis concordantiis ac Glossa hic §. *Speciem*, allegatis. Atqui hoc ipsum non est aliud, quam relinquere arbitrio iudicis, quantum in casibus specificis probent singula argumenta, seu conjecturæ, sicque quantum gradum probationis præsumptio inde resultans, efficiat. Accedit, quod generatim, quænam probatio hic et nunc sit plena et concludens, nec ne iudicis arbitrio relinquatur, juxta dicta tit. XIX. de *Probationibus*. § 3. n. 60. Atque, ut ibidem n. 63. et seqq. subjungitur, plures dentur casus in quibus non requiritur plena probatio, sed sufficit semiplena, vel alia ex conjecturis deprompta. Unde consequens est, quod iudex, ut arbitrium suum sit regulatum, teneatur attendere ad subjectam materiam, de qua controvertitur, et gravitatem indiciorum.

33. *Idque declaratur inductione.* — Hoc ipsum declaratur inductione. Nam tacendo nunc præsumptionem temerariam, qualis foret, si quis ex eo duntaxat, quod viderit v. g. Titium cum muliere loquentem, vellet præsumere adulterium, estque penitus rejicienda, juxta proxime dicta. Quandoque dantur conjecturæ aequaliter urgentes, quæ sufficiunt ad causandam suspicionem, et præsumptionem probabilem: ut si Titius ille cum quapiam puella sæpius fuit visus in secreto loqui, et confabulari, arg. can. *Clericus solus*. dist. 81. Aliquando possunt esse conjecturæ, atque indicia magis urgentia, quæ proinde causant præsumptionem magis vehementem: aliquando etiam possunt ipsa esse urgentissima, ita ut generent præsumptionem violentam. Atqui nequit certa regula generalis dari, quænam indicia in singulis casibus specificis sufficiant ad generandam

hanc, vel illam præsumptionem; ergo non nisi prudenti iudicis arbitrio oportet istud relinquere determinandum. Verum ponendo regulas quasdam generaliores, ad regulandum, seu rite informandum arbitrium iudicis accommodas.

34. *Præsumptio hominis, cæteroquin probabilis, se sola probat tantum semiplene.* — Resp. III. Præsumptio hominis, quæ cæteroquin est rationabilis seu probabilis, se sola probat tantum semiplene: si vero adjuvetur publica fama, vel aliis adminiculis, potest etiam facere plenam probationem. Ita Glossa fin. c. *Insinuatum de Simonia*. Abbas cit. c. *Quanto*. n. 3. h. t. Baldus ad rubric. h. t. n. 2. asserens, quod præsumptio juris faciat plenam probationem, cui standum est, nisi contrarium probetur; præsumptio hominis autem solum semiplene probet, nisi coadjuvetur aliis videlicet adminiculis. Menochius l. I. de *Præsumptionib.* quæst. 94. n. 3. et 4. asserens, sententiam ferri non debere contra aliquem ex præsumptione hominis probabili; secus, ex violenta. Vallensis h. t., § 4, n. 1 et 2. Sannig eod. cap. II, n. 4. et alii. Prior pars desumitur ex c. *Inquisitioni*. 44. § fin. de *Sentent. excomm.* et c. *Tertio loco*. 13. h. t. ubi habita tali præsumptione probabili, defertur partibus juramentum suppletorium; istud enim deferri non potuisset, si præsumptio illa semiplene non probasset, arg. l. *In bonæ fidei*. c. de *Rebus credit.* neque potuisset exigi, si dicta præsumptio plene probasset, cap. II. de *Probation.* Accedit ratio, quia indicia, quibus innitur præsumptio hominis, atque ex variis hominum moribus, et opinionibus oriuntur, sunt quidem verisimilia; unde et sufficiunt ad torturam, juxta Bartolum l. I. a princip. ff. de *Quæst.* et alios: quia tamen adhuc sunt debilia, et fallere possunt, sicque non urgent ad indubitatum credendum, et concludendam veritatem facti; hinc præsumptio inde concepta censetur duntaxat probabilis et verisimilis, ac proinde nequit plene probare, sed semiplene tantum, juxta prudens iudicis arbitrium.

35. *Si vero adjuvetur publica fama, vel aliis adminiculis, potest etiam facere plenam probationem.* — Altera pars colligitur ex c. *Tertio loco*. 13. juncta Glossa, et doctoribus ibid. h. t., ubi præsumptio, alias probabilis tantum, de commissa copula carnali sponsi cum nepte sponsæ concepta ex eo, quod fuerint a testibus insimul visi per plana, et nemora, vias et in via plus circumvagari, plene pro-

bavit accedente fama viciniæ, et propria partium confessione jurata: haud obstante, quod contra valorem matrimonii, atque ad obtinendam sententiam divortii deposuerint; quam etiam obtinuerunt. Concordat textus in c. *Illud quoque*. 11. h. t. juncto Summario, ubi dicitur, per cohabitationem diutinam, et famam de matrimonio, aliaque adminicula, probari matrimonium. Accedit, quod plura indicia de se insufficientia, conjungantur ad eundem effectum probationis; simulque duæ probationes semiplenæ, faciant unam probationem plenam, juxta uberius dicta supra tit. XVIII. de *Confessis*. § 6. n. 142. et tit. XIX. de *Probationibus*. § 4. n. 198. et seqq. (ADNOTATIO IX.)

36. *Præsumptio hominis potest illum, qui contrarium asserit, gravare onere probationis, si iudici videatur.* — Resp. IV. Insuper præsumptio hominis, si iudici videatur, potest illum, qui asserit contrarium gravare onere probationis. Ita Bartolus in l. *De ætate*. n. 8. ff. de *Minorib.*; Mascardus cit. concl. 1227, n. 3, allegans alios; idque exemplificans in Actore, qui pro fundamento suæ intentionis allegat ætatem majorem: nam si iudex ex aspectu corporis arbitrabitur quod revera actor habeat ætatem majorem, poterit absque alia actoris probatione gravare reum, ut probet contrarium, sicque onus probandi in ipsum transferre. Siquidem ætas hominis, cæteroquin est difficilis probationis, inter alia potest probari ex aspectu: qualis tamen probatio multum relinquatur arbitrio iudicis. Menochius l. II. de *Arbitrar. judic.* cas. 117. n. 1. et alii.

37. *Violenta præsumptio hominis transfert onus probandi in adversarium.* — Resp. V. Violenta præsumptio hominis pro aliquo, transfert onus probandi contrarium in adversarium non probato, facit plenam probationem; adeo, ut ad condemnationem sufficiat, saltem in causis civilibus non nimium arduis. Primam partem probat textus in c. *Veniens*. et Abbas ibid. n. 3. de *Presbyt. non baptizat.* et c. *Ut nostrum*. § *Porro*. «Ut ecclesiastica beneficia,» etc., ubi ob hujusmodi violentam præsumptionem refunditur onus probandi in adversarium.

38. *Contra præsumptionem violentam admittitur probatio in contrarium.* — Ex quo consequens est, quod contra præsumptionem violentam admittatur probatio in contrarium. Glossa fin. cit. c. *Veniens*. et Abbas cit. n. 3. de *Presbyt. non baptizat.* Qui tamen

addit, quod probatio talis debeat esse evidentissima: siquidem, ut loquitur textus ibid. violenta præsumptio « pro certitudine est habenda: donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probetur. » Nec immerito: quia efficacior probatio requiritur ab eo, qui probare vult illud, quod non est verisimile, c. *Qui verisimile*. 10. h. t.

39. *Ea sufficit ad sententiam, saltem in causis civilibus non nimium arduis.* — Altera pars traditur de Abbate in c. *Quanto*. 3. h. t. ubi ait, quod violenta præsumptio dicatur illa, quæ sufficit ad sententiam: quia quasi violenter tradit iudicem ad credendum. Sic in c. *Afferte*. h. t. refertur, quod Salomon, regum sapientissimus, ex violenta quadam præsumptione tulerit sententiam inter duas fœminas, de filio vivente coram eo litigantes. Ubi proinde Summarium, Joan. Andreas, Felinus, alique doctores passim, sic loquuntur: « Ex violenta præsumptione fertur definitiva. » Quenam autem in specie sit censenda præsumptio violenta, non nisi iudicis arbitrio determinari potest, juxta dicta n. 32. Additur etiam in conclusione: « adeo ut ad condemnationem sufficiat, saltem in causis civilibus non nimium arduis, ob dicenda inferius n. 61. et 62. et seqq.

40. *Præsumptio naturæ transfert onus probandi in adversarium. Prima facie præsimitur quis idoneus, nisi aliud in contrarium ostendatur.* — Resp. VI. Præsumptio naturæ seu resultans ex iis, quæ nobis naturaliter insunt, tantam obtinet vim in materia probationum, ut transferat onus probandi in adversarium; hoc est, in eum, qui asserit aliquid contrarium præsumptioni naturali. Ita Glossa fin. cap. ult. h. t. juncto textu ibid. asserente, quod quis « prima facie præsimitur idoneus, nisi aliud in contrarium ostendatur. »

41. *Et quomodo istud sit intelligendum? Idoneitas, seu qualitas, alia est homini instrinseca, alia extrinseca; et de qua procedat præsumptio naturæ?* — Hoc tamen intelligendum est de idoneitate intrinseca, cum qua homo nascitur, non de extrinseca; prout notat Abbas ibid. n. 7. estque uberius dictum supra l. I. tit. XII. *De Scrutinio in ordine faciendo*, n. 10. Nam ut inquit Glossa c. *Si forte*. §. *Scientiæ de Electione*. in 6. et communis doctorum, quædam qualitas est homini intrinseca, cum qua videlicet homo nascitur, nempe quod aliquis sit castus, pacificus, sobrius, etc. Et hanc quis præsimitur habere, donec contrarium probetur, cit. cap. ult. h.

t. et cap. un. *de Scrutinio in ord. faciend.* cum similibus: unde consequens est, quod loquendo de hac qualitate, seu idoneitate intrinseca, præsumptio naturæ transferat onus probandi in adversarium, qui eam inesse negat. Quædam vero qualitas est homini extrinseca; ut litteratura, seu quod aliquis sit vir doctus, bonus musicus, etc. Et talis debet probare, neque de hac procedit præsumptio naturæ.

42. *Nemo præsimitur malus: nisi probetur malus.* — Eadem conclusionem, seu quod præsumptio naturæ transferat onus probandi in adversarium, tradit Mascardus concl. 1226. *de Probat.* n. 6. et seqq. allegans alios: quæ præter jam dicta, probatur etiam ex l. *Omni modo*. juncta Glossa §. *Non licebit*. c. *Inofficios. testament.* et l. II. ubi Glossa §. *Probationibus*. c. *Qui testamenta facere*, etc. et cap. un. *de Scrutinio in ordin. faciend.*, ubi dicitur quod quis « illum, quem indignum esse non novit, dignum debeat æstimare. » Unde illud vulgatum: « Nemo præsimitur malus, nisi probetur malus; » prout desumitur ex c. *Mandata*. 6. h. t. et can. *In cunctis*. 11. q. 3. cum similibus. Quia enim contra præsumptionem naturæ est, aliquid dicere malum, istud asserenti incumbit onus probandi.

43. *Præsumptio naturæ non transfert onus probandi in adversarium, quando id quod naturaliter inest constat postea esse mutatum.* — Limitatur tamen data conclusio, et præsumptio naturæ non transfert onus probandi in adversarium, quando id, quod naturaliter inest, constat postea esse mutatum. Quia, si est superinducta nova qualitas, quam naturalis, ea semper præsimitur inesse, donec doceatur sublata, c. *Semel malus*. 8. *de Reg. jur.* in 6; Felinus cap. ult. n. 15. h. t.; Mascardus cit. concl. 1226. n. 16. et alii.

44. *Idem dicendum quando agitur de præjudicio tertii, nisi aliter probetur actoris intentio.* — Limitatur etiam, quando agitur de præjudicio tertii. Quia præsumptio naturæ non valet ad jus tertii perimendum, nisi aliter probetur actoris intentio. Divus Thomas 2. 2. q. 70. art. 3. ad 2. asserens, de quolibet præsumendum esse bonum, nisi appareat contrarium; dummodo non vergat in periculum alterius: quia tunc est adhibenda cautela, ut non de facili unicuique credatur, secundum illud. I. *Joan.* iv. 1. *Nolite credere omni spiritui*. Glossa in can. *Si quis præpropera*. dist. 50. §. *Videri*, dicens, cuiuspiam imputari, quod nimis est credulus. Mascardus

cit. concl. 1226. n. 20. et 21. cum aliis. Unde, si talis præsumptio vergat in præjudicium tertii, non transfert onus probandi in adversarium; cum lex ex parte actoris ultra talem præsumptionem, aliud probationis genus requirat. Sic quippe jura decreverunt, ut unius, etiam iudicis, verbo non credatur in præjudicium alterius, nisi aliorum testium adminiculo fulciatur, c. *Cum a nobis*. 28. *de Testib.* cum similibus: haud obstante, quod fit præsumptio naturalis, quempiam esse veracem, nec mentiri. donec probetur oppositum. Glossa fin. in c. *Sicut nobis*. 39. *de Sentent. excommun.*

45. *Præsumptio juris, quos operetur effectus in materia probationum? Ubi hæc stat pro aliquo, tunc ipse relevatur ab onere probandi. Qui habet præsumptionem juris pro se, dicitur habere intentionem suam fundatam.* — Queritur II. Præsumptio juris quos operetur effectus in materia probationum? Resp. I. Præsumptio juris, ubi stat pro aliquo, tunc ipse relevatur ab onere probandi, atque istud transfertur in adversarium ejus. Ita Speculator tit. *de Præsumptionibus*. §. *Species*. n. 3. et 4; Sperellus decis. 27. *Fori Ecclesiastic.* num. 68; Bartolus l. *In illa*. in fin. ff. *de Verbor. obligat.*; Mascardus *de Probat.* quæst. 10. *Præem.* n. 37. et concl. 1228. n. 2. citans plurimos alios. Ratio est, quia, qui habet præsumptionem juris pro se, dicitur habere intentionem suam fundatam, l. *Generaliter*. §. *Si petitum*. ff. *de Fidecommis. libertat.* Lex etenim parificat hos casus, quod quis probet; vel, quod habeat pro se juris præsumptionem. Sperellus decis. 174. *Fori Ecclesiastic.* n. 52. post Alciatum *de Præsumptione*. p. 3. n. 4. et alios.

46. *Præsumptio juris habetur pro veritate, donec contrarium probetur.* — Resp. II. Insuper præsumptio juris habetur pro veritate, eique statur, donec contrarium probetur. Textus est in cap. ult. *de Restitut. spoliat.* in 6. et c. *Qui verisimile*. h. t. et l. *Cum de indebito*. ff. *de Probat.* cum similibus; Sperellus decis. 174. *Fori Ecclesiastic.* n. 57; Menochius *de Præsumptione*. l. I. quæst. 36. n. 3. Jason l. *Licet Imperator*. n. 13. ff. *de Legat. I.*; Mascardus cit. concl. 1228. n. 38. asserens, quod præsumptionis juris effectus sit, ut ex eo alter, contra quem stat talis præsumptio juris, condemnatur, nisi ab ipso probetur contrarium per quamdam legitimam speciem probationis. Siquidem præsumptio juris, est probatio liquidissima in causa cæ-

teroquin obscura, seu donec contrarium probetur, l. *Licet Imperator*. ff. *de Legat. I.*

47. *Præsumptio juxta quosdam non est probatio: bene tamen probationis relevatio.* — Nec obstat, quod præsumptio juris proprie non dicatur probatio, arg. l. *Lucius Titius*, ubi Bartolus, et Dynus ff. *de Condition. et demonstrat.* ac notat Zoesius h. t. n. 4. addita ratione. « Puta (inquit) probatio vera percipitur sensu corporeo, v. g. quod testes viderint hominem occidi, audierint, interfuerint, etc. hoc enim præsumptioni non convenit. Non obstat, inquam: quia licet præsumptio juxta quosdam doctores proprie non sit probatio, est tamen probationis relevatio, dum transfert onus probandi in alium. Mascardus quæst. 10. *Præem.* n. 37; Zoesius, et alii.

48. *Præsumptio juris est liquidissima probatio, nisi contraria probatione elidatur.* — Quinimo istiusmodi præsumptio juris dicitur liquidissima probatio, nisi contraria probatione elidatur. Glossa fin. l. *Si tutor petitus*. ff. *de Pericul. tutor.* Jason l. *Licet Imperator*. n. 8. ff. *de Legat. I.*; Sperellus cit. decis. 174. n. 52; Mascardus d. quæst. 10. n. 40. et concl. 1228. n. 37; Menochius lib. I. *de Præsumptione*. quæst. 81. n. 4; Vallensis h. t. §. 4. n. 4; Sannig eod. cap. II. n. 8. et alii. Siquidem legum præsumptiones procedunt ex certis, ac legitimis iudiciis: neque aptantur, nisi super verisimilibus, quæ plerumque fieri solent; sicque fieri præsumuntur, nisi de contrario doceatur.

49. *Ubi requiruntur probationes liquidissimæ, sufficiunt præsumptiones juris contraria probatione non elisæ.* — Et hinc, ubi ad victoriam consequendam requiruntur probationes liquidissimæ (ut puta, si statutum aliquod hujusmodi probationes requirat) sufficit probare per præsumptiones a iure inductas, et contraria probatione non eligas; eo quod hæc sint probationes liquidissimæ. Felinus ad rubric. *de Probat.* n. 2, post Baldum in d. l. *Si tutor petitus*; Mascardus ead. quæst. 10. n. 41.

50. *Idem dicendum, ubi lex requirit probationem per instrumenta. Præsumptio juris æquiparetur instrumento.* — Quin etiam hujusmodi præsumptio juris, quando contraria probatione non eliditur, sufficit ad probandum, ubi lex requirit probationem per instrumentum: ut l. *Quicumque*. juncta l. I. c. *de Apochis publicis*, lib. X. Ex quo loco infert Alexander consil. 126. n. 7. lib. VI, quod præsumptio juris æquiparetur scripturæ;

Mascardus loc. cit. n. 42. allegans insuper Baldum l. I. c. de Fideicommiss. pluresque alios.

51. *Contra presumptionem hominis, et contra presumptionem juris tantum, admittitur probatio in contrarium.* — Quæritur III. An contra presumptionem, præsertim quæ est juris et de jure, admittatur probatio in contrarium? Resp. I. Certum est, quod contra presumptionem juris tantum admittatur probatio in contrarium. Ita Glosa fin. c. *Is qui fidem*. 30. de Sponsalib. et communis. Idque patet tum ex cap. 1. ac seqq. de Purgat. canon. et l. ult. ff. *De eo quod metus causa*, etc., ubi contra presumptionem hominis probatio recipitur. Tum ex c. *Proposisti*. 4. de Probat. et cap. ult. de Restitut. spoliat. in 6. et l. *Si chirographum*. ff. de Probat. et alibi, ubi contra presumptionem juris tantum admittitur probatio in contrarium. Et de hoc non est difficultas, bene tamen de presumptione juris et de jure; unde:

52. *Hæc tamen contra presumptionem juris et de jure regulariter non admittitur.* — Resp. II. Contra presumptionem juris et de jure, regulariter non admittitur probatio in contrarium. Ita textus expressus cit. c. *Is qui fidem*. 30. de Sponsalib. ibi: «Contra presumptionem hujusmodi non est probatio admittenda.» Siquidem super eam lex firmum sancivit jus, eamque pro veritate habet; ut loquitur Mascardus cit. quæst. præem. n. 48. Et idem operatur ista presumptio in casu vero. Abbas in d. c. *Is qui fidem*. n. 2. et 4. et Fagnanus ibid. n. 3. et 5. de Sponsalib. Qui tamen bene subjungunt, hoc esse intelligendum in foro contentioso, et judiciali duntaxat; non autem quoad Deum, est in foro anime: in hoc quippe non habet locum præsumptio, nisi ipsa veritas; estque amplius dictum lib. 4. tit. II. de Constitutionibus. § 7, n. 163 et seqq.

53. *Fallit hoc in pluribus casibus.* — Resp. III. Nihilominus allata regula fallit in nonnullis casibus. Ita Felinus c. *Quanto*. n. 3. et 4. h. t.; Mascardus loc. cit., n. 51 et seqq.; Vallensis h. t., § 4; Pirhing. h. t., n. 9 et seqq. alique communiter complures tales casus referentes.

54. *Contra presumptionem juris et de jure, admittitur propria confessio.* — Sic imprimis contra presumptionem juris et de jure admittitur propria confessio ejus, pro quo stat talis presumptio: sive, in cujus favorem jus præsumit. Abbas c. *Cum contingat*. n. 10.

de Offic. delegat.; Jason l. *Cum te transegisse*. n. 7. c. de Transact. Felinus loc. cit. n. 3; Mascardus cit. n. 51. et alii. Ratio est, quia is, in cujus favorem jus præsumit, confitendo contrarium tollit presumptionem juris, quatenus erat in sui favorem: siquidem presumptio cedit veritati l. *Imperatores*. ff. de Probat. Atqui confessio propria detegit veritatem; cum nemo censeatur contra se temere confiteri, simulque propria confessio sit optima probatio; ergo.

55. *Probatio per confessionem partis, admittitur etiam contra sententiam.* — Et hac de causa probatio per confessionem partis admittitur etiam contra sententiam, quæ transivit in rem judicatam, licet habeat pro se presumptionem juris et de jure: adeo, ut sententia illa, utpote ex propria confessione partis injusta, sit rescindenda. Felinus c. *Quoniam contra*. n. 25. et 26. de Probat.; Jason in *Repetit.* l. *Admonendi*. n. 46. ff. de Jurejurand. atque communi docet Mascardus cit. quæst. 10, n. 53; id tamen intelligens de confessione in judicio facta: nam extrajudicialis plene non probat, juxta dicta tit. XVIII. de Confessis. § 2. n. 34 et seqq.

56. *Contra presumptionem juris et de jure, admittitur probatio indirecte.* — Deinde contra presumptionem juris et de jure admittitur probatio indirecte: quia cum lex ad hanc presumptionem requirat certas qualitates et circumstantias, semper admittitur probatio, quod non simus in tali casu, vel quod deficiat aliqua ex qualitatibus requisitis. Sic contra matrimonium, quod in cit. *Is qui fidem*. de Sponsalib. præsumitur celebratum, admittitur indirecte probatio, per quam ostenditur prius fuisse renuntiatum sponsalibus; vel intercessisse impedimentum dirimens, ratione cujus nequivit sequi matrimonium. Glossa in Clem. 1. §. *Fecisse de Probat.*; Felinus cit. c. *Quanto*. n. 4, h. t.; Vallensis h. t., § 4, n. 9; Menochius lib. 1. de Præsumptionib. quæst. 71. n. 1. citans plurimos alios.

57. *Ac probatio per evidentiam facti, seu per notorium. Probatio per evidentiam facti nunquam censetur exclusæ.* — Tertio, contra presumptionem juris et de jure, admittitur probatio per evidentiam facti, seu per notorium. Quia probatio, quæ est per evidentiam facti, nunquam censetur exclusæ, quando enim constat certo et evidenter de veritate, cessat dubium, circa quod versatur presumptio; unde necesse est, ut presumptio cedat veritati, cit. l. *Imperatores*. ff. de Probat.; Val-

lensis loc. cit., n. 10; Felinus, ubi supra, n. 4, fall. 5; Pirhing h. t., n. 11; Menochius d. lib. c. de Præsumpt. quæst. 67. n. 1. et alii.

58. *Si contra presumptionem juris et de jure admittatur probatio parte non opponente, cessat presumptio.* — Quarto, si contra presumptionem juris et de jure admissa fuerit probatio parte non opponente, cessat, atque tollitur ita presumptio: quia adversarius, qui nihil opposuit, videtur tacite consensisse, suoque juri renuntiasse, loquendo de casu, in quo renuntiare potuit. Abbas, c. *Cum contingat*. n. 10. de Offic. delegat.; Jason in *Repetit.* l. *Admonendi*. n. 45. ff. de Jurejurand.; Felinus cit. c. *Quanto*. n. 4, fall. 3, h. t., allegans plures alios.

59. *Adversus eam admittitur probatio per testimonium quinque testium. Idem dicendum de tribus testibus multum legalibus.* — Huc accedit quod tradit Menochius cit. lib. I. de Præsumpt. quæst. 63. n. 1. videlicet, adversus presumptionem juris et de jure admitti probationem in contrarium per testimonium quinque testium, arg. l. *Testium*. c. de Testib. ubi quinque testes sufficiunt loco scripturæ: per scripturam vero admittitur probatio contra presumptionem juris et de jure, l. *Generaliter*. c. *De non numerat. pecun.* Imo Menochius eod. lib. I. de Præsumption. quæst. 64. n. 1. et 2. allegans alios, censet, hoc ipsum procedere de duobus, vel tribus testibus summæ fidei, sive multum legalibus et probis. Consentit Vallensis h. t. § 4. n. 8. et Pirhing n. 11. eod.

§ III.

DE SUFFICIENTIA PRÆSUMPTIONUM AD FERENDAM SENTENTIAM.

60. *Certum est, posse ferri sententiam conformiter presumptioni juris, nisi contraria probatione elidatur.* — Quæritur I. Utrum tam ex presumptione juris, quam hominis, possit ferri sententia? Resp. I. Certum est, posse conformiter presumptioni juris ferri sententiam, nisi contraria probatione elidatur. Ita Menochius de Præsumpt. lib. I. quæst. 94. n. 1. et 2. asserens, hoc esse certum et clarum. Idque patet ex c. *Nullus*. et c. *Quosdam*. 7. et seqq. h. t. et cap. ult. de Restitut. in 6. cum similibus. Nam quod per presumptionem juris constat, satis patere dicitur, inquit Abbas c. *Ad nostram*. n. 6. de Emption. et Vendit. istud probans ex l. *Licet Imperator*.

ff. de Legat. 1. et Sperellus decis. 27. *Fori Ecclesiast.* n. 63. et alii. Quinimo presumptio juris habetur pro veritate, estque probatio liquidissima, nisi contrarium probari valeat, juxta dicta n. 46.

61. *Etsi presumptiones hominis regulariter plenam fidem non faciant, possunt tamen adeo vehementes existere ut sufficiant ad ferendam sententiam.* — Resp. II. Etsi presumptiones hominis regulariter plenam fidem non faciant, sicque juxta eas sententia ferri nequeat, aliis adminiculis adjuventur, ut dictum est supra n. 34. et seqq. possunt nihilominus presumptiones hominis adeo vehementes, seu violentæ existere, ut sufficiant ad ferendam sententiam diffinitam, saltem in causis civilibus non nimium arduis. Ita Menochius lib. I. de Præsumption. quæst. 94. n. 3 et 4; Mascardus, de Probat. concl. 1227, n. 6. et seqq. cum communi doctorum. Idque patet ex c. *Afferte*. 2, h. t. ubi Salomon ex hujusmodi violenta presumptione legitur tulisse sententiam inter duas meretrices, de filio vivente coram eo litigantes. Unde citatum capitulum sic summatur: «Ex violenta presumptione fertur diffinitiva; et est casus notabilis.» Similiter c. *Litteris* 12. et c. *Tertio loco*. 13. h. t. per violentam presumptionem probatur copula carnalis, quando videlicet solus cum sola, nudus cum nuda in eodem lecto jacens, repertus fuit: adeo, ut ex tam violenta presumptione possit sententia divortii promulgari, ut ibidem subjungitur. Insuper l. *Quæro*. § fin. ff. de *Edictio edicto*, si alia indicia non deficiant, decernitur, ferendam esse sententiam ob confessionem servi fugitivi. Concordant dicta superius § præced. n. 32 et seqq.

62. *Saltem in causis civilibus non nimium arduis.* — Additur notanter in conclusionem, «saltem in causis civilibus non nimium arduis.» Utrum enim ea procedat etiam in causis criminalibus (quibus æquiparantur causæ civiles arduæ magnique momenti, juxta dicta superius tit. XX. de Testibus. § 3. n. 81.) multum variant doctores. Et alii quidem affirmant, alii negant: nonnulli vero media via incedentes, volunt condemnari quidem posse reum ex presumptionibus violentis, sed ad poenam mitiorem duntaxat, seu extraordinariam: uti videre est apud Fachineum lib. I. *Controvers. jur.* cap. xxix; Menochium cit. lib. I. de Præsumpt. quæst. 97. n. 19. et seqq. Engel h. t. n. 3. et alios. Pro cujus resolutione: